

Omnis syllogismus categoricus simplex debet in se habere propositionem, assumptionem, et conclusionem.

Et eius assumptio semper repetit / subiectum vel praedicatum propositionis. Unde et iure vocatur assumptio quasi alterius partis propositionis sumptio et repetitio. Utrumvis autem in diverso loco repeatat, syllogismum facit primae figurae; si praedicatum in eodem loco, secundae; si / subiectum, tertiae.

Item repetit utrumque aliquando affirmando<sup>1</sup>, aliquando negando<sup>2</sup>. Ex quibus diversitatibus qualitatis atque locorum quatuor / intelligimus assumendi seu repetendi modos in utraque parte ~~seu loco propositionis~~<sup>3</sup>. Ipsum namque subiectum propositionis in / assumendo vel affirmatur de aliquo, vel removetur ab aliquo, vel de ipso affirmatur aliquid, vel ab ipso removetur aliquid. Totidem idemque / modi sunt et in praedicato. Ipsum namque etc.

Modo considerabimus assumendi leges in universali affirmativa et universali negativa, item / in particulari affirmativa et negativa.

Et primum universalis affirmativa leges inspiciemus.

Sed quoniam harum legum veritas atque omnium / aliarum de natura parium et imparium et oppositorum rationem suae firmitudinis sumit, ideo leges eorum et re/gulas primitus adtendemus, ut per eas si venerint indubium, alias leges comprobemus.

Sunt autem horum / regulae xii: tres maioris, quatuor minoris, parium quatuor, et una oppositorum.

Maioris itaque sunt hae: /

- (1) a quocumque removetur maius, et minus;
- (2) quicquid affirmatur de mariori universaliter, et de minori;
- (3) quicquid removetur a / mariori universaliter, et a minori.

Minoris vero hae:

- (4) de quocumque praedicatur minus, et maius;
- (5) a quocumque removetur minus / universaliter, id removetur a mariori

---

<sup>1</sup> affirmando] aff(). *K*

<sup>2</sup> negando] ne. *K*

<sup>3</sup> p(ro)p(ositi)onis sic *K* sed fortasse repetitionis legendum?

particulariter;

- (6) quidquid affirmatur de minori, et de maiori particulariter;
- (7) quicquid / removetur de minori, et de maiori particulariter.

Parium vero sunt istae:

- (8) de quocumque praedicatur unum par, et reliquum; /
- (9) a quocumque removetur unum par, et reliquum;
- (10) quicquid affirmatur de uno pari, et de reliquo;
- (11) quicquid removetur ab uno pari, / et a reliquo.

Oppositorum ista est:

- (12) opposita non simul eidem.

Quod autem istae xii regulae sint aliarum ap/probatrices, inde est perspicuum, quia termini illarum ex locis istarum eliciuntur. Praedicatum enim universalis / affirmationis semper est maius subiecto vel ei par, subiectum vero par aut minus. Praedicatum universalis negationis semper / oppositum subiecto, et subiectum<sup>4</sup> praedicato. Particularis autem affirmativae praedicatum semper est maius vel minus vel par, / similiter et subiectum. Particularis negativae praedicatum minus vel oppositum, subiectum oppositum vel / maius. Loquimur autem haec de veris propositionibus et quae sunt circa praesens.

¶ Nunc universalis affirmativae leges et regulas / primo loco disponemus.

*in margine*

¶ Si vera est universalis affirmativa, et subiectum illius affirmatur de aliquo, praedicatum ipsius affirmatur de eodem <universaliter>.

¶ Omnis homo est animal,  
sed omnis Aethiops<sup>5</sup> est homo,  
omnis igitur Aethiop<sup>6</sup>s est animal. (I-1)

¶ Si vera est universalis affirmativa, et subiectum illius removetur ab aliquo universaliter, idem removetur a praedicato eiusdem particulariter<sup>7</sup>.

¶ Omnis homo est animal,  
sed nullus equus est homo,

---

<sup>4</sup> subiectum praedicato] sub(iec)t()m p(rae)dic() K

<sup>5</sup> Aethiops] h(om)o K

<sup>6</sup> Aethiops] eth. K

<sup>7</sup> particulariter] p(raedicatu)r K

quoddam igitur animal non est equus. (I-8)

¶ Si vera est universalis affirmativa, et aliquid affirmatur de subiecto illius, idem affirmatur de praedicato eiusdem particulariter.

Omnis homo est animal,

sed omnis homo est risibilis,

quoddam igitur animal est risibilis. (I-5)

¶ Si vera est universalis affirmativa, et aliquid removetur a subiecto illius, idem removetur a praedicato eiusdem particulariter.

¶ Omnis homo est animal,

sed nullus homo est equus,

quoddam igitur animal non est equus. (III-2)

¶ Si vera est universalis affirmativa, et praedicatum illius removetur ab aliquo, subiectum ipsius removetur ab eodem <universaliter>.

¶ Omnis homo est animal,

sed nullus lapis est animal,

nullus igitur lapis est homo. (II-2)

¶ Si vera est universalis affirmativa, et aliquid affirmatur de praedicato illius universaliter, idem affirmatur de subiecto eiusdem <universaliter>.

¶ Omnis homo est animal,

sed omnis<sup>8</sup> animal est substantia,

omnis igitur homo est substantia. (I-1)

¶ Si vera est universalis affirmativa, et aliquid removetur a praedicato illius universaliter, idem removetur a subiecto eiusdem <universaliter>.

¶ Omnis homo est animal,

sed nullus animal est lapis,

nullus igitur homo est lapis. (I-2)

¶ Si vera est universalis negativa, et subiectum illius affirmatur de aliquo, praedicatum <i>ipsius removetur ab illo particulariter.

¶ Nullus homo est lapis,

sed quoddam corpus est homo,

quoddam igitur corpus non est lapis.<sup>9</sup> (I-8)

End

---

<sup>8</sup> omnis] n(u)ll(us) K

<sup>9</sup> Cetera desunt K

